

1608 pacisque fructus degustandos esse : privatas attritas opes , ærarium exhaustum : Angliæ Regem ad Hollandicum bellum stipendia posthac non erogaturum , haud semel obtestatum : Gallum se, oneri sumptuique subducturum : reipublicæ firmamentum . leges , pecuniam , nullo nisi quietis fulcro sustentari posse Ita dissidentibus animis , aliis in pacem inclinantibus , aliis in bello pertinacibus , negotium extrahebatur , rebusque maturandis longæ atque anxiæ moræ injiciebantur : cum tandem ea vicit sententia , quæ pacem æquis conditionibus amplectendam censebat . Verum initio summis adeo difficultatibus cuncta implicabantur , ut fere desperatum sit . Ex vero ad tria potissimum capita redigebantur : quorum unum ad religionem ; alterum ad Batavorum libertatem ; tertium ad maritima commercia spectabat . Ut orthodoxæ religionis cultus catholicis apud Batavos permitteretur , summopere Archiduces nitebantur , adstipulante ac favente Janinio præside ; verum contradicente Anglo , frementibus populis , quod una cum religione Hispanos in eorum viscera recipere vererentur . Rejecta in aliud tempus res est , atque ad libertatis iura deuentum ; quo in negotio valde laboratum . Arduum Hispano videbatur , post tot bella , acerrimas cruentasque contentiones , omne jus in Hollandia ac Zelandia amittere ; quodque non minus referre videbatur , eo exemplo reliquos in Belgio ad libertatem (qua nil pretiosus humano generi a Deo immortali tributum est ) consequendam inflammare , cum illos , qui diuturna obstinatione intrepide ac graviter pugnassent , jugum tandem excussisse cernerent . At Batavi contra , nisi id permitteretur , gravissima omnia subituros , atque rursus in belli fluctus sese demissuros affirmabant . Tertium caput de Indica ac Peruviana navigatione , atque ex iis oris auri exoteriarumque mercium exportatione supererat . Durum sane Hispanis videbatur , amplissima oceani commercia cum aliis communia habere ; quique singulis annis immensam auri vim , infinitam prope rerum copiam ex occidentis remotissimis regionibus in Hispaniam importabant , atque mox in dissitas Europæ regiones dispergebant , alios vel socios vel participes nancisci . At cum , maritimæ genti id ni concederetur , navali gloria commodisque se privari Batavi ani-

Batavorum  
de pace  
decretum,  
Et ejus tra-  
ditio.